

DE NECESSITATE CLERICATUS PRO QUALIBET PROVISIONE CANONICA

STATUS QUAESTIONIS

PROVISIO officii vel beneficii ecclesiastici definitur uti 'concessio (assignatio, collatio, donatio, institutio) officii vel beneficii ecclesiastici vacantis, per competentem Superiorum ecclesiasticum personae canonice idoneae facta (can. 147)'.¹

Obiectum huius studii est considerare provisionem canonicam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum non, ut ita dicamus, ontologice seu ex parte actorum ad ipsius essentiam pertinentium, nec active sumptam seu ex parte magistratus vel Superioris ecclesiastici competentis, sed passive sumptam, scilicet ex parte personae canonice idoneae ad officium vel beneficium ecclesiasticum promovendae, et quidem non quoad omnia et singula requisita pro canonica idoneitate sed unice quoad primum praerequisitum, quod est clericatus.

Tota quaestio oritur ex can. 153 collato cum can. 11 et can. 1680. Etenim in can. 153, § 3 Codex sancit: 'Cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla, si ita cautum sit iure communi vel particulari aut lege fundationis; secus est valida, sed per sententiam a legitimo Superiori irritari potest.' Iure vero communi 'irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur' (can. 11), necnon 'nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu conditio-nes desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis.' (can. 1680).

Atqui Codex in subiecto passivo cuiuscumque provisionis canonicae non videtur praescribere expresse vel aequivalenter statum clericatus sub poena nullitatis. Dicit enim: 'Ad vacans officium promovendus debet esse clericus, iis qualitatibus praeditus, quae a iure communi vel particulari aut a lege fundationis ad idem officium requiruntur.'²

¹ Wernz-Vidal, Ius Canonicum, II (Editio. 3a), 243.

² Can. 153, § 1.

Ergo prima facie saltem videri potest ex iure Codicis clericatum non requiri ad validitatem cuiuscumque provisionis canonicae.

SENSUS TITULI ET EXPLICATIO TERMINORUM

Quaerimus cur clericatus sit conditio sine qua non cuiuslibet provisionis canonicae. Cum hac tamen quaestione alia cohaeret, quae est veluti praeliminaris et fundamentalis, videlicet: an clericatus sit conditio sine qua non cuiuslibet provisionis canonicae. Qua probata, via facilioris patebit ad solutionem quaestionis nobis propositae. Unde ut clarior rem et magis dilucidam solutionem attingere possimus hanc sequentem agendi rationem proponimus; nempe, probata necessitate status clericalis in subiecto passivo ad validam provisionem cuiuscumque officii et beneficii ecclesiastici, argumenta deinde adducemus ad demonstrandam rationem talis necessitatis. Denique in fine quaestioonis, veluti ad complementum quoddam doctrinae, attinentes quasdam seu connexas quaestio nulas vel consequentias in scholiis proponemus. His positis, ad brevem terminorum explicationem transeamus.

Clericatus est status illarum personarum, quae 'divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt.'³ Unde clericus dicitur is, qui statui clericali sive hierarchiae ecclesiasticae legitime est adscriptus. Cum autem fieri possit ut aliquis sit adscriptus hierarchiae ecclesiasticae diversis modis et gradibus, verbum 'clericus' etiam sortitum est diversas significationes. Etenim sensu strictissimo hoc verbum denotat eum solum, qui saltem prima tonsura per initiationem quamdam hierarchiae ordinis incorporatus est; sensu minus stricto comprehendit quoque eos qui uno ex minoribus ordinibus sunt instructi; sensu denique lato designare potest omnes gradus hierarchiae ordinis, etiam maiores.⁴

Codex plerumque verbum 'clericus' sumit sensu lato; quo sensu sumendum quoque est verbum 'clericatus' in nostra quaestione.

Conditio sine qua non dicitur illud requisitum quod, licet non sit de essentia seu de substantia alicuius actus, ita tamen necessario postulatur ut, eo deficiente seu non verificato, actus pro non existente censendus sit.

Provisio canonica, uti iam diximus, est 'concessio officii [vel beneficii] ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta.'⁵

³ Can. 108.

⁴ Wenz-Vidal, l.c., 74s.

⁵ Can. 147.

Provisio canonica sumitur sensu lato, nempe pro complexu illorum trium actuum ad essentiam cuiuscumque canonicae provisionis pertinentium. Officium tamen et beneficium ecclesiasticum sumenda sunt sensu stricto, ad normam can. 145, § 2.

NOTAE HISTORICAE

Primis Ecclesiae temporibus, ordinationes absolutae non exsistebant. Quapropter concessio officii ecclesiastici inferioris coincidere solebat cum ipsa sacra ordinatione adeo ut soli clerici seu ordinati officia ecclesiastica exercent.⁶ Sane non defuerunt casus in quibus laici seu non-clericci, uti S. Ambrosius, S. Nicolaus, S. Severus, in episcopos electi sunt. Hi tamen post electionem per sacram ordinationem hierarchiae ecclesiasticae seu statui clericali adscripti sunt nechon talis extraordinarius modus agendi a posterioribus canonistis explicabatur seu repetebatur ex speciali instinctu Spiritus Sancti.⁷

Quod beneficia attinet, scimus ex historia, post restitutam pacem Ecclesiae et praecipue ex saeculo quinto et sexto, fideles non paucos, praesertim in Ecclesia Orientali, sua bona liberaliter Ecclesiae obtulisse nechon templa et basilicas aliaque pia instituta aedificasse atque fundos ad cleri sustentationem suppeditavisse. Huiusmodi disciplinae prima vestigia inveniuntur saeculo quinto in Ecclesia quoque Occidentali.⁸

Unde mens fidelium in bonis Ecclesiae donandis pro erectione beneficiorum ecclesiasticorum ab initio et semper intendebat primario et principaliter cleri sustentationem, licet alii fines secundarii, uti fabricae ecclesiarum et solatium pauperum, comprehendenterentur.

Inde a saeculo XII paulatim admissa praxi ordinationum absolutarum, communes redditus ecclesiae, quibus antea sustentabantur clericci, in singulis beneficiis dividi coepit. Illis temporibus officia ecclesiastica fere omnia erant simul beneficialia; at principium semper invaluit ad omnia beneficia promovendos esse clericos. Tamen non raro contigit ut magnorum principum filii, praesertim in Germania, ad beneficia ecclesiastica promoverentur cum essent laici cum adiecta condicione ut quam-primum tonsurarentur.⁹

⁶ Cf. Wernz-Vidal, I.c., 250.

⁷ Cf. c. Statuimus, 8, § Econtra, dist. 61; et Ferraris, Bibliotheca, I, 575.

⁸ Cf. Wernz-Vidal, I.c., 251.

⁹ Cf. Sanig., cap. 2, num. 2, de Electione; Ferraris, Biblioth. I, 575.

Contra reformatores asserentes officia stricte ecclesiastica posse a non-clericis exerceri, Concilium Tridentinum definit: 'Si quis dixerit ... aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.'¹⁰

Sixtus V Constitutione 38, de habitu et tonsura per clericos, seu milites beneficia vel pensiones obtinentes, edxit: 'In futurum autem non nisi actu clericis in habitu clericali et tonsura, et militibus infra dicendis in militari incidentibus suae militiae propriae, aut alia quaecumque ecclesiastica, etiam simplicia beneficia, respective conferantur, aut commendentur, aut pensiones, fructusve, aut bona ecclesiastica reseruentur.' In fine Constitutionis ponitur decretum irritans, 'quicquid secus a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.'

Antiquam doctrinam et disciplinam servavit Codex Iuris Canonici can. 118 et can. 153.

His praelibatis, ad solutionem quaestionis pergamus.

Assertio: Clericatus est condicio sine qua non seu ad validitatem cuiuslibet provisionis canonicae quia soli clerci sunt habiles ad officia et beneficia ecclesiastica accipienda.

Probatur assertio per partes

Ia Pars: Clericatus est condicio sine qua non seu ad validitatem cuiuslibet provisionis canonicae.

1. Ex ipsa natura officii et beneficii ecclesiastici

Et enim officium ecclesiasticum stricto sensu est 'munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum . . . , aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis'¹¹ atque 'beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos'.¹²

Atqui ex iure communi clericatus est condicio sine qua non ut aliquis possit potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae obtain-

¹⁰ Conc. Trid., Sess. XXIII, can. 7.

¹¹ Can. 145.

¹² Can. 1409.

ere.¹³

Ergo clericatus est condicio sine qua non cuiuslibet provisionis officii vel beneficii ecclesiastici.

Maior: est ipsa definitio iuridica officii et beneficii ecclesiastici. De ipsa enim ratione stricti officii ecclesiastici est quaedam potestas ecclesiastica sive ordinaria sive etiam delegata iure divino vel ecclesiastico definita, adeo ut sine tali participatione potestatis ecclesiasticae nullum possit concipi officium ecclesiasticum stricte dictum. Beneficium vero ecclesiasticum habet tamquam elementum spirituale et principale ipsum officium ecclesiasticum ac proinde concipi pariter non potest absque participatione potestatis ecclesiasticae sive ordinis sive iurisdictionis.

Minor: Iure communi ut quis ordinationem recipere possit, requiritur ut iam per primam tonsuram constitutus sit clericus. Unde solis clericis competit vel competere potest potestas sive ius saltem valide perficiendi ex officio et vi ordinis sanctas quasdam functiones illi ordini proprias. Pari modo ex iure communi tantum clerici, saltem prima tonsura insigniti, sunt capaces ad accipiendam iurisdictionem ecclesiasticaem.¹⁴ Potest quidem Romanus Pontifex laicis quoque iurisdictionem ecclesiasticam delegare;¹⁵ sed cum hoc non sit ex iure communi sed ex suprema Romani Pontificis auctoritate, ambitum nostrae quaestionis excedit. Item ius commune clericis privative reservat beneficia ecclesiastica.¹⁶ Et si aliquando laici participant de fructibus beneficiorum, id legitime fieri tantum potest ex permissione Romani Pontificis, quae aliquando datur.¹⁷ Sed hoc iterum pertinet ad supremam auctoritatem Summi Pontificis, quae est supra ius commune.

Ex hoc primo arguento igitur merito deducimus ipsam naturam officii et a fortiori beneficii ecclesiastici postulare statum clericatus in subiecto passivo provisionis canonicae.

Nota: Concedimus ex ipsa vi argументi praecedentis nondum constare apodyctice clericatum iam actu requiri tempore provisionis canonicae. Unde hoc argumentum in se spectatum potius dicendum est suasivum quam apodycticum. Tamen mens legislatoris praescribendi ut conditio clericatus iam actu verificetur in subiecto passivo ante ipsam provi-

¹³ Cf. Can. 118 et can. 948.

¹⁴ Cf. Wernz-Vidal, l.c., 94.

¹⁵ Cf. Chelodi, *Ius Canonicum De Personis* (Edit. 3a), 179, n. 1.

¹⁶ Cappello, *Summa Iuris Canonici*, I (Edit. 5a), 198.

¹⁷ Ojetti, *Comment. in C.I.C.*, IV, 25 n. 1.

sionem non immerito deduci potest ex can. 1474, quo legislator praescribit ut beneficiarius, si ad beneficium obtainendum susceptio alicuius ordinis requiratur, talem ordinem ante beneficii collationem iam recipere debuerit. Ordo vero in iure, ex can. 950, comprehendit etiam primam tonsuram.

2. *Ex Iure Antiquo*

Adnotare iuvat quod dum Codex can. 153, §1 clericatum considerat uti condicionem praerequisitam ante omnes alias qualitates in subiecto promovendo, veteres canonistae clericatum computabant inter ipsas qualitates requisitas ad hoc ut subiectum idoneum censeretur et quidem alii, ut Garcias,¹⁸ statum clericalem ponebant ut primam et praecipuam qualitatem, alii, ut Ferraris,¹⁹ illum afferebant secundo loco, alii demum, inter quos Pirhing²⁰ et Schmalzgrueber,²¹ tertiam qualitatem appellabant. Omnes veteres canonistae docebant clericatum explicite requiri ad validitatem in subiecto praeficiendo cuicumque beneficio ecclesiastico. Sane illi veteres canonistae sermonem faciunt tantummodo de beneficiis, non autem de officiis. Ratio tamen est quia, uti iam alibi innuimus, eorum temporibus fere omnia officia ecclesiastica stricte dicta erant simul beneficialia. Unde quae ipsi affirmant de beneficiis applicanda quoque sunt officiis ecclesiasticis stricte dictis.

Tam necessario requirebatur clericatus ut ista condicio a quibusdam in ipsa definitione beneficii ecclesiastici incorporata sit. Ita Garcias beneficium definit: 'ius percipiendi redditus ex dote alicuius officii ecclesiastici, clero seu personae ecclesiasticae competens'.²² Immo veteres auctores omnes concordes seu unanimes erant in hoc quod status clericatus requirebatur actu in subiecto tempore provisionis canonicae.

Ita, ut quaedam testimonia afferamus, Garcias scribit: 'Inter qualitates quas habere debent ii, quibus beneficia conferuntur, prima et praecipua est clericatus et ordo: oportet enim eos esse clericos saltem primae tonsurae, per quam clericalis ordo confertur... Alias ut ad nostrum propositum redeamus, si non sunt clerici saltem primae tonsurae, sed laici, incapaces sunt beneficiorum, c. ex litteris, de transactionib. c. 2 de

¹⁸ Tractatus de Beneficiis, P. VIII, c. 1.

¹⁹ Bibliotheca, I, 575.

²⁰ Ius Canonicum, lib. III, tit. 5, n. 102.

²¹ Ius Ecclesiasticum Universum, lib. V, tit. 5, n. 61.

²² Op. cit., P.I., c. 2, n. 28.

instit. ubi Abbas, et alii et dictum est I par. c. 2. num. 28 ubi plures citavi, adeo quidem ut non sufficiat destinatio concurrente etiam habitu clericali.²³ Et infra refert Constitutionem 38 Sixti V de habitu et tonsura per clericos, seu milites beneficia vel pensiones obtinentes deferendis ex qua requiritur ut promovendi tempore collationis beneficiorum sint actu clerici in habitu clericali, et tonsura incidentes, cum alias collatio esset nulla.²⁴

Item Pirhing 'Beneficiatus, ait, debet esse clericus, saltem initiatus prima tonsura, per quam clericalis ordo confertur. Et laicus seu non tonsuratus non est capax beneficii... Adeo autem necessario praerequiritur clericatus ante omne beneficium obtainendum, ut non sufficiat aliquem esse destinatum ad clericatum et habitum clericalem iam deferre, v.g. cras suscepturum primam Tonsuram, sed necessarium est, ut ante illam jam receperit, alioquin invalida erit Beneficii impetratio et collatio: sicut non valet electio vel provisio ejus qui hodie nondum aetatem legitimam attigit sed cras ad eam perveniet: non enim firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit, Reg. Iur. 18 in VIo.'²⁵

Fere eadem referens, Schmalzgrueber affirmat primam tonsuram seu actualem constitutionem in statu clericali esse quid substantiale respectu beneficii ac proinde in hoc casu non obstare tritum axioma quod proxime accingendus habeatur pro accinto, praecise quia axioma istud locum non habeat in substantialibus. Alias, pergit auctor, si etiam in his procederet, is qui cras certo absolvendus est a censura v.g. excommunicationis, hodie quoad effectus iuris pro absoluto habendus esset, quod nemo admittit.²⁶

Explicatione indigent verba quaedam quae adhibet Ferraris in hac quaestione. Dicit enim: 'licet quilibet Christianus de iure communi sit capax beneficii, ut docuit Rota, part. IV, tom. I recent. dec. 307, num. 1, hodie tamen quilibet laicus non insignitus clericali charactere, seu saltem non tonsuratus ad quodlibet beneficium inhabilis existit, et nullum assequi potest, adeo quidem ut non sufficiat post illud iam acquisitum tonsurari.'²⁷ Iamvero sententia Ferraris eadem est ac ceterorum canonistarum; verba vero explicanda sunt: 'licet quilibet Christianus de iure communi sit capax beneficii'. Sane illis verbis S.R. Rota non docuit laicos esse capaces iuris spiritualis, quod est beneficii elementum principale, sed tantum participationis fructuum temporalium, quod communiter

²³ Op. cit., P. VII, c. 1.

²⁴ Ibid.

²⁵ Lib. III, tit. 5, n. 102.

²⁶ Lib. II, tit. 14, n. 19.

²⁷ Op. cit., I, 575.

admittebatur. Ita Pirhing clare distinguit quod 'laico possit quidem conferri Praebenda Canonicalis quia est quid temporale, non autem jus Canoniae, quae est jus spirituale, quod non cadit in laicum.'²⁸ Hoc tamen legitime fieri non potest absque permissione Romani Pontificis.²⁹

Ultimum testimonium, non minus explicitum quam praecedentia, desumimus ex P. Wernz, qui ita scribit: 'Cum universim loquendo ex disciplina nunc vigente laici a consecutione qualiscumque officii ecclesiastici proprie dicti excludantur, generatim nemo licite et valide officium ecclesiasticum etiam simplex obtinere potest, qui saltem prima tonsura recepta non iam actu factus est clericus.'³⁰ Hic textus a ceteris differt eo quod mentionem facit de officio ecclesiastico, dum ceteri omnes loquuntur de beneficio ecclesiastico.

Ex dictis igitur nullum dubium est quin ius antiquum totum fuerit in affirmando necessitate clericatus in subiecto promovendo ad officia et beneficia ecclesiastica et quidem ad validitatem provisionis.

3. Ex Iure Codicis

Can. 153, §1 praescribit: 'Ad vacans officium promovendus debet esse clericus'. Sane Codex non dicit utrum clericatus requiratur ad validitatem an ad solam liceitatem provisionis; unde hoc aliunde eruendum est. Notandum tamen est verbum 'debet' cum quadam emphasi adhiberi. Ex can. 1680 autem scimus nullitatem actus haberi cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt. Clericatus vero vi verborum can. 153, §1 requiritur ad ipsam constitutionem actus provisionis, unde pertinet ad ius constitutivum. Et haec est ratio cur in hoc canone Codex mentionem non faciat de validitate actus.

Praeterea non desunt in Codice alia exempla in quibus verbum 'debet' denotat conditionem seu qualitatem requisitam ad valorem actus. Ita can. 1573, §4 dicitur quod 'tum officialis tum viceofficiales esse debent sacerdotes.' Sacerdotium vero in hoc casu requiritur ad validitatem electionis.³¹

Praincipuum argumentum tamen desumendum est ex can. 6, n. 20, ubi Codex dicit: 'Canones qui ius vetus ex integra referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpreta-

²⁸ Lib. III, tit. 5, n. 102; Cf. etiam Garcias, op.cit., P. I, c. 2, n. 28.

²⁹ Cf. S. CONG. CONC. in Aprutina, 12 Maii, 1828, et Ojetti, op. cit., IV, 25, n. 1.

³⁰ Ius Decretalium, tom. II (Edit. 2a), n. 300.

³¹ Cappello, Summa Iuris Canonici, Vol. III (Edit. 3a), p. 50.

tionibus, sunt aestimandi.' Atqui quoad conditiones et qualitates requisitas in promovendis ad officia ecclesiastica, can. 153, §1 ius vetus ex integro refert. Ergo can. 153, §1 est ex veteris iuris auctoritate aestimandus. Ius vetus vero, uti demonstravimus in argumento praecedenti, explicite affirmabat necessitatem clericatus ad validitatem cuiuscumque provisionis canonicae. Ergo idem dicendum est de iure Codicis.

De cetero inter Codicis commentatores non desunt qui verbum 'debet' in can. 153, §1 ita explicent uti conditionem praescribens ad validitatem actus requisitam. Sic Wermz-Vidal: 'Quodsi clericus praefficiendus officio ecclesiastico propter defectum alicuius qualitatis, sive iure communi sive iure speciali requisitae, non dignus vel non idoneus sit, generatim provisio facta videtur esse tantum irritanda, non ipso iure irrita, nisi nullitas provisionis ipso facto incurrenda specialibus iuris dispositionibus statuta sit, aut propter veram incapacitatem vel inhabilitatem, v.g. ob defectum clericatus, ex natura rei sequatur.'³²

Item Chelodi: 'Defectus tonsurae, ordinis, interdum aetatis officit validae provisioni.'³³

IIa Pars: Soli clerici sunt habiles ad officia et beneficia ecclesiastica obtinenda.

1. *Ex ipsa natura officii et beneficii ecclesiastici*

Officium ecclesiasticum est munus aliquam saltem secumferens participationem potestatis ecclesiasticae sive ordinis sive iurisdictionis. Atque ex iure communi soli clerici sunt habiles ad accipiemad potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae.³⁴ Ergo soli clerici sunt habiles ad obtinenda officia ecclesiastica.

Beneficia vero dantur propter officia. Ergo cum soli clerici sint capaces exercendi officia ecclesiastica stricte dicta, sequitur solos clericos esse capaces accipiendi beneficia ecclesiastica.³⁵

Ojetii tertiam affert rationem, videlicet quod beneficium ex iure sit aliquid spirituale, laici autem iurum spiritualium personalium sint incapaces, ex quo sequitur solos clericos esse capaces beneficiorum.³⁶

Haec omnia profluunt ex ipso iure Constitutivo ecclesiastico. Etenim 'ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti, licet

³² Ius Canonicum, II (Edit. 3a), p. 265.

³³ Ius Canonicum, De Personis (Edit. 3a), p. 216.

³⁴ Can. 118.

³⁵ Cf. Ojetti, op. cit., III, p. 42s.

³⁶ Ibid.

non omnes clerici sint divinae institutionis.³⁷ Clerici vero ex iure divino constituti seu deputati sunt ad sacra ministeria exercenda necnon ad Christifideles seu laicos regendos in ordine ad salutem aeternam. Ab hac deputatione exclusi sunt laici, qui nec sanctificare nec regere sed sanctificari et regi ex Christi institutione debent. Quod munus sanctificandi et regendi suum gregem Christus demandavit clericis seu coetui clericorum vel aliis verbis hierarchiae sive ordinis sive iurisdictionis et quidem secundum gradus diversos, nempe supremum, medios vel infimos. Singulis vero clericis istud munus conceditur per potestatem sive sacra ordinatione sive iure divino immediate, si de primatu agatur, sive missione canonica collatam.³⁸

Sane ex hoc non est inferendum clericatum requiri ex iure divino pro provisione canonica sed potius Ecclesiam illum praescribendo sese conformasse iuri divino illudque veluti interpretatam esse.

Nota: Cum iure communis nitatur illa exclusio laicorum a gerendis negotiis ecclesiasticis, solus Romanus Pontifex iura laicorum in hac re extendere potest ad casus in iure non expressos. Imo vel ipse Romanus Pontifex laicus, saltem de facto, non solet concedere aliquam ordinariam iurisdictionem, sed solummodo delegatam. Quae delegatio cum pariter censeatur exorbitans, nulla consuetudine etiam immemoriali obtineri potest, sed tantum expressa concessione Ecclesiae. Ita Wernz-Vidal.³⁹

Num Romanus Pontifex possit officium ecclesiasticum quod secum fert participationem potestatis iurisdictionis mulieribus delegare disputatur.⁴⁰ Animadvertisendum est officium antistitiae religiosarum, de quo sermo fit in can. 2412 et 2413 non esse officium stricte dictum quippe nullam secumferat participationem potestatis iurisdictionis sed potestatis dumtaxat dominativae.

Scholion I. In iure antiquo canonistae quaestionem agere solebant utrum ille qui communi hominum existimatione reputabatur clericus esset habilis ad beneficia obtainenda ecclesiastica. Et respondebant distinguendo hoc modo, scilicet, si ille qui communi hominum existimatione clericus reputabatur revera talis non erat, inhabilis existebat ad hoc ut posset promoveri ad beneficia obtainenda; si vero erat clericus putatus, de cuius nempe clericatu non constabat nisi per communem reputacionem, tunc illa communis reputatio sufficiebat pro obtainendo beneficio.⁴¹

³⁷ Can. 107.

³⁸ Cf. Ojetti, op. cit., III, 42.

³⁹ Op. cit., p. 73, n. 15.

⁴⁰ Cf. Chelodi, op. cit., 179, n. 1.

⁴¹ Cf. Garcia, op. cit., P. VII, c. 1; et Pirhing, op. cit., lib. III, tit. 5, n. 102.

Scholion II. Quid si aliquis primam tonsuram accepti ab alieno episcopo sine consensu proprii?

Haec quaestio tractatur a Pirhing, qui post Azor, sequentem praebet solutionem: '...neque capacem esse beneficii qui primam Tonsuram accepit ab alieno Episcopo sine consensu proprii adeoque, vitiouse ordinatus est, cum paria sint nullam habere Tonsuram Clericalem et vitiosam seu inhabilem habere: quare sic tonsuratus dispensatione S. Pontificis opus habet, ut valeat Ordinatio et Beneficium obtinere possit.'⁴²

Scholion III. Quaeri etiam solebat num, si ageretur de beneficio iuris patronatus, praesentatus deberet esse iam actu clericus tempore presentationis et non tantum tempore institutionis ad hoc ut praesentatio esset valida. Plures veteres auctores, inter quos Garcias, Wernz et alii, affirmabant. Pauci cum Schmalzgrueber et Ballerini-Palmieri dissentiebant, eo quod si laicus propediem esset initiandus, ut ante institutionem clericus fieret, concedebant eum posse praesentari.⁴³ Codex quaestionem dirimit can. 1463, quo praescribitur ut persona praesentata debeat esse idonea, idest ipso presentationis vel saltem acceptationis die, qualitatibus, praedita quae iure communi seu peculiari vel lege fundationis requirantur.

Scholion IV. Omnes canonistae, tum veteres tum recentiores docent ad summum beneficium, quod est Papatus, laicum quoque uxoratum valide promoveri posse. Fere ab omnibus hoc explicatur tamquam exceptio a regula generali. Non desunt tamen qui aliam proferant explicationem, quod scilicet in hoc casu tum clericatus tum officium simultanee accipiuntur. Ad rem Fagnanus: 'Quare per se, extraordinarie quidem, nomine clerici veniret etiam ille, qui ne prima quidem tonsura initiatus, per legitimam tamen electionem et acceptationem aliquem obtineret gradum iurisdictionis ecclesiasticae. Talis profecto esset laicus, qui legitime electus in Romanum Pontificem, electionem de se factam acceptasset.'⁴⁴ Clarius Ojetti: 'Potestatem sive ordinis sive iurisdictionis non nisi clerici accipiunt, vel saltem ii, qui eam accipiendo clerici constituuntur.'⁴⁵

CAN. C. MUSCAT

⁴² I.c., Cf. Azor, P. II, lit. 6, c. 2, q. 5.

⁴³ Cf. Garcias, op.cit., P. VII, c. 1; et Ballerini-Palmieri, Opus Theologicum Morale, Vol. IV, p. 216.

⁴⁴ In Decretal., De Praebendis etc., c. 2, n. 6.

⁴⁵ Op. cit., III, 42.